

variari, augeri aut minui potest. Medium enim est ipsa essentia, si tamen medium vocari potest, per quam omnia cognoscit: Et intellectus seu cognoscendi principium idem est cum essentia, quæ semper immutabilis est.

Thef. 27. Sed nec actualiter variatur. Actus cognoscendi aliàs antecedentem habet vel nudam potentiã, vel habitum; Sed neutrum, nec quidquam hisce simile in Deo reperitur, quippe qui & actus ipse purissimus est, & actu omnia cognoscit, nec demum per potentiam præparatur, aut per habitum facilius redditur.

Thef. 28. Et licet divinus intellectus ante determinationem divinæ voluntatis, ut non sciens futura, nobis videatur; non tamen admittit divina perfectio, ut Deum in aliquo instanti futura ignorantem nobis imaginemur, & sic ad actum sciendi aliquando progressum fuisse putemus. Utrumque enim & determinatio & scientia divina ab æterno simul inceperunt, vel ut rectius loquar, nunquam inceperunt, quia ab æterno fuerunt. Et loquitur hæc de re circumspectè & accuratè *Joh. de Rada p. 1. Controv. 30. art. 4. concl. 3.* Distinguit ibi inter esse & intelligi. In illo priori ante determinationem divinam non intelligitur Deus sciens futura; Sed non est non sciens futura, quia verbum est dicit rei existentiam, quæ non mensuratur per instantiam naturæ, sed temporis vel æternitatis secundum rei cujusque naturam. Per τὸ intelligi verò nostra delineatur imbecillitas, quæ cum accuratissimè procedere vult, perfectionem illam imperfectè apprehendit.

Thef. 29. Hisce præmissis concludimus cum *Heereboord l. c.* scientiam visionis, in quantum est conjuncta cum voluntate divina, in sensu, ut ajunt, composito, nec augeri, nec minui. Quia sicut Deus, quicquid vult immutabiliter, ita quicquid scit ex iis, quæ voluit, invariabiliter scit.

Thef. 30. Sed præter hunc modum absolutè etiam & in sensu diviso considerari potest, quatenus nimirum cognitione & ratione nostrâ præscinditur aut separatur ab ordinatione divina; atque hæc ratione ut barbarè loqui liceat, eam magis fuisse, quàm esse minuibilem, aut augibilem, dici potest.

Th. 31. Res ipsa absque periculo sic declarari potest. Concedit quisque plura Deum uti producere, ita hæc scientiã cognosce-

B

re po-